



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

49. An qui recipit Ordines cum patrimonio ficto, incidat in suspensionem?
Ex quo infertur non incurrisse in suspensionem quemdam Clericum, qui
impetravit à consanguineo patrimonium, ad cuius titulum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

donationi sibi factæ renunciavit, antequam literas dimissoriales, vel Ordinem reciperet, & Gordonus tom. 2. lib. 7. q. 15. cap. 12. §. 6. num. 24. existimat, quod si valida non est hæc renuntiatio, non contrahi in hac promotione suspensionem, quia reuera ex valido titulo omnia geruntur: si autem valet renunciatio, consequens est deesse titulum, & proinde contrahi censuram. Nauarr. cap. 27. num. 158. iudicat renunciationem hanc (si fiat ante promotionem) esse inutilem, & minus validam, ac proinde non contrahi censuram. Quod probabiliter defendi potest, quia tamen in dubium vocari potest valor renunciationis, ideo securius est absolutionem petere ab hac suspensione expressis causis, vna aut pluribus, pro ut ille fuerint. Sed quia ego puto talem renunciationem esse inualem, puto nullam absolutionem petendam esse.

RESOL. XLVIII.

Quidam Clericus in hac ciuitate suscepit Sacros Ordines cum patrimonio ficto, & per multos annos celebravit, quæsit, an in ordinatione ratione patrimonij ficti, incurrit suspensionem, & postea celebrando irregularitatem? Ex p. 2. tr. 16. & Misc. 2. Ref. 5.

Difficilis sanè quæstio. Ponam opiniones DD. quam malueris elige. Affirmatiuam sententiam amplexi sunt. Nauarr. in manual. cap. 27. num. 158. Sanchez. de matr. lib. 6. disp. 32. num. 8. & præter alios, quos citat, & sequitur Bonac. de Sacram. disp. 8. q. 2. vnic. punct. 5. num. 34. tenet hanc sententiam Comitoli. in resp. mor. lib. 6. q. 38. Spino in spec. theol. gl. 18. n. 75. Filiuc. tom. 1. tract. 17. c. 5. num. 89. Ioan de la Cruz in direct. conf. p. 2. tract. de sacram. Ordinib. dub. 6. concl. 2. Scortia in Pontif. cons. epit. 147. theorem. 149. Valer. Reginald. in praxi, tom. 2. lib. 3. tr. 2. c. 25. sect. 3. num. 72. qui cum Suar. in 3. p. tom. 5. disp. 31. sect. 1. num. 35. putat talem clericum incurtere duas suspensiones, alteram, vt sine sufficienti titulo, alteram, vt sine proprii Episcopi facultate ordinatum. Ratio quare incurrit istam secundam suspensionem, adducitur à Reginald. & est, quia ordinatur sine literis dimissoriis. Nam Episcopus conferens huiusmodi literas, titulo patrimonij, non daret illas si sciret patrimonium esse fictum; ergo dictæ literæ sunt subreptitiæ, & per consequens censentur nullæ, & nullius effectus. Rationem verò, quare incurrit suspensionem propter patrimonium fictum, adducit Bonacina, quia Conc. Trid. sess. 21. cap. 2. de reform. videtur innouare canones antiquos contra eos, qui artibus, & fallaciis se fingunt habere idoneas facultates. Et canones sunt cap. neminem, & cap. sanctorum 70. distinet. in quibus definitur, esse suspensum, qui ordinatur sine beneficio, & patrimonio.

2. Mihi verò contraria sententia videtur probabilior, & ideo in praxi tutissima, quam docent Gonzalez ad 8. reg. Cancell. gloss. 5. §. 10. num. 25. Homobon. de exam. Eccles. p. 2. tract. 11. cap. 10. quæst. 12. Flaminus de resignat. benef. lib. 2. quæst. 6. num. 18. Tolet. lib. 1. cap. 48. num. 5. Coninch. de Sacram. disp. 16. dub. 5. num. 38. Garfias de beneficiis tom. 1. p. 2. cap. 5. num. 20. & seq. Squill. de oblig. Cler. p. 2. dub. 4. Piafecius in praxi Episc. p. 1. c. 1. art. 7. n. 20. Auila de censuris p. 3. disp. 5. Henriq. lib. 13. cap. 37. num. 2. & in gloss. litt. G. refert pro ea multos, & graues Theologos, quos ipse consuluit, & Sayrus de censuris lib. 4. cap. 14. num. 16. vbi asserit nimis rigide, contrariam sententiam esse falsam, quia secundum declarationem Congregationis Concilij, & vsum Penitentiariæ ordinatus sine titulo, non est suspensus, neque etiam Tridentinum innouat poenam illam suspensionis in dicto cap. neminem, & cap. sanctorum iure antiquo latam contra ordinatos, absque titulo, quæ poena iam ante Tridentinum per alios Canones, scilicet illum cap. Episcopus, qui est Alexandri III. & aliterum, qui est Innocentij III. in cap. cum secundum Apostolum, de præbendis, sublata fuit, sed solum innouat poenas horum duorum Canonum recentiorum, Episcopus, & cum secundum Apostolum, in quibus in poenam ordinatoris statutum est, vt Episcopi, eos quos sine titulo, aut beneficio, de quo necessaria vitæ percipiant, ordinauerint, suis sumptibus alere teneantur, donec de beneficio eis providerint.

3. Ad argumentum Bonacina respondetur, intentionem Concilij solum esse innouare poenas antiquorum Canonum, qui non erant sublati, & correcti alio Canone; vnde antiqua suspensio nouo iure cap. cum secundum Apostolum, sublata, non innouatur à Concilio; nec est audiendus Vasquez in 3. p. tom. 3. disp. 246. cap. 6. num. 61 Bonacina, & alij contrarium sentientes, nam ita declarauit Congregatio Cardinalium his verbis, apud Piafecium vbi sup. Concilium renouat tantum poenas, cum secundum, extra de præbendis, in hoc capite.

4. Ad argumentum Reginaldi responder Henricus hoc sup. vbi ait: Qui ob fictum patrimonium initiat, non incurrit aliam suspensionem latam contra eos, qui absque Reverendis proprii Episcopi initiantur, quamvis enim per fraudem, licentiam, & Reverendas obtineant, est tamen vera licentia. Hæc ille.

5. Nec obstat dicere, quod obtinuisse reuerendas ex causa falsa, est idem quod non obtinuisse illas, quia vt notat Auila loco citato, Episcopus debet facere sufficientem diligentiam, vt cognoscat an patrimonium sit verum. Deinde si fictio patrimonij sufficeret ad incurrendam illam suspensionem, sufficeret etiam falsitas in probatione morum, & generis. Dicendum est igitur, supradictum Clericum ordinatum sine titulo, non fuisse suspensum, atque adeò celebrando non incurrisse irregularitatem.

6. Nec valet dicere, supradictum Clericum incurrisse in suspensionem ex Bulla Sixti V. contra Clericos malè promotos, vt notat Gonzal. vbi sup. Nam respondeo, illam constitutionem fuisse à Clem. VIII. redactam ad terminos juris communis, vt notauit Vuald. in fine Candelabri, & alij. Notandum est tamen, quod etiam, stando in nostra sententia, taliter ordinatus potest puniri extraordinarie ab Episcopo, cum à iure certa poena sancita non sit, vt obseruat Gossalez num. 32. & forsan Episcopus illi necessaria denegare potest, cum ipse in culpa non fuerit, sed deceptus ab ordinato.

RESOL. XLIX.

An qui recepit Ordines cum patrimonio ficto, incidat in suspensionem?

Ex quo inferitur non incurrisse in suspensionem quendam Clericum, qui impetravit à consanguineo patrimonium, ad cuius titulum ordinatus fuit, & promittens cum iuramento, quod ante donationem retrodonauit.

Et an in aliquo casu possit Episcopus dispensare, vt quis ordinetur sine patrimonio, vt v. g. si sit doctus, & gradu insignis?

Et an ordinatus, v. g. ad Subdiaconatum sine titulo possit ascendere ad superiores ordines sine dispensatione?

Ex p. 5. tract. 10. Ref. 50.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Nauarr. c. 27. n. 158. Maiolus de irregul. lib. 14. cap. 25. Moscosus in summ. tract. 8. cap. 2. num. 9. Medina in summ. lib. 1.

Sup. hoc sup.
ante med. §.
1. huius Ref.
& in alio §.
ejus annot.

Sup. hoc sup.
in Ref. 47.
§. 2. & in
Ref. 48.
lib. 1.

lib. 1. cap. 1. §. 8. & alii; & ratio est, quia Concilium Trident. sess. 21. cap. 2. de reformatione quod videatur, si patrimonium ordinandum sit verum: & statim subiungit, antiquorum Canonum penam super his innovando. In quibus verbis videtur innovare Canones in cap. neminem, & cap. sanctorum, dist. 50. in quibus declarata esse suspensos qui ordinantur sine beneficio, aut patrimonio. Deinde Episcopus si hoc sciret, dimissorias eis non præberet: ergo incurrit suspensionem latam à Pio II. contra ordinatos sine literis dimissorias. Idem etiam docent plures DD. quos citat & sequitur Bonac. tom. 3. disp. 3. q. 1. punct. 8. n. 3.

2. Verum ego contrariam sententiam tenet, & illam præter multos alios tenet Coninch de Sacram. disp. 15. dub. 5. num. 38. Turrian. de cens. 5. disp. 46. d. 1. Avila de cens. part. 3. disp. 5. dub. 5. concl. 1. & Villalob in sum. tom. 1. tract. 18. diff. 10. n. 3. ex quibus infert: [Que el que se ordeno de Subdiacono, y renunció el patrimonio, y se ordenó de Evangelio, y Missa no queda suspenso, y es llano, porque aquella renunciacion no vale, como consta del Concilio Trid. y lo diximos arriba. Lo segundo, que tampoco está suspenso el que se ordenó à título de patrimonio, y mintió, diciendo que era suficiente, ni tampoco el que devia otro tanto como el patrimonio à cuyo título se ordenó, en especial se contraxo las deudas, después que tenía el patrimonio; porque segun el Concilio no se han de pagar estas deudas del patrimonio, que no se puede enagenar. Tambien infiere que el que se ordena à título de patrimonio, el qual tiene en bienes muebles, no es suspenso, y lo tiene tambien Navarro, aunque la mente del Concilio es, que el patrimonio sea en bienes rayz. Item que tampoco incurre suspension el que se ordenó à título de beneficio, del qual aun no tenía tomada la posesion.] Ita ille, & novissime Hurtadus tract. de suspens. diff. 13. n. 38. ubi hæc ait, qui título ficto, aut ficto patrimonio, aut ficto beneficio, aut ficta pensione ordinatur, graviter peccat, sed non incurrit suspensionem, quia id nullo iure decernitur, quia Canon neminem, & Canon sanctorum 70. dist. 70. ubi suspenduntur, qui ordinantur absque titulo, revocati sunt cap. cum secundum 16. de præbend. ac proinde Trident. sess. 21. cap. de reformatione, ubi requiritur titulum ad Ordinem sacrum recipiendum, se remittit ad pœnas antiquorum Canonum contra eos, qui aliter ordinantur, non se remittit ad dictos Canones neminem, & sanctorum, ut potè revocatos per aliud jus ante Trident. sed ad alios Canones, nempe ad supra citatos de simonia, & ad alios ubi puniuntur ordinationes factæ absque titulo, præsuppositis simoniaciis pactis, aut eis æquivalentibus. Nec obstat dicere quod obtinuisse Reverendas ex causa falsa, est idem quod non obtinuisse, illas; non, inquam, obstat, primo, quia ipsi Episcopo incumbit sufficientem facere informationem, quod patrimonium est verum, ut ait Doctor Spino in speculo testamentorum, glossa 18. n. 78. & colligitur ex Trid. loco cit. ibi, Eo quoque prius perspecto patrimonium illud verè ab eis obtineri. Secundo, nam si fictio patrimonii sufficeret ad incurrendam illam suspensionem, etiam sufficeret falsitas in probatione morum & generis. Vnde ex his patet quod ego olim rectè respondi, non incurrisse suspensionem quemdam Clericum, qui impetravit à consanguineo patrimonium, ad cuius titulum ordinatus fuit, & promittens cum juramento, quod ante donationem retradonabit. Et ita hanc sententiam docet Henriquez lib. 13. cap. 37. n. 2. Fornarius cap. 8. n. 8. de ordine. Et alii apud Garfiam de benefic. tom. 2. part. 2. cap. 5. num. 24. & seqq.

3. An verò in aliquo casu possit Episcopus dispensare, ut quis ordinetur sine patrimonio; respondet Avila ubi supra dub. 16. quod in casu raro potest, ut

si sit vir doctus in Collegio, & gradu insignis, de hoc enim certum est, quod consequetur cathedram, vel præbendam, aut beneficium, & per consequens nulla est suspensio, quod mendicabit. Vnde Moscosus in sum. tract. 8. cap. 2. num. 10. sic ait. [Verdad es, que es opinion de graves autores, que un Doctor de Alcalá, o un Cathedratico de Salamanca puede ser ordenado sin beneficio, ni patrimonio, pues está mas acomodado y son mas importantes por la Iglesia que otros con beneficios, y patrimonios.] Et hanc opinionem docet etiam Henric. in lib. 13. cap. 37. n. 1. in glossa lit. O. fuisse in praxi deductam. Sed aliquid asserunt contra hanc sententiam, ut ego alibi notavi, obstat declarationem sacre Congregationis, & tenet Cameracensis panili in divers. jur. can. rubr. 8. cap. 4. n. 6. Garzias de benef. p. 2. cap. 5. num. 128. Barbosa de potest. Episcop. p. 2. alleg. 19. num. 725. & alii. Sed an ordinatus, v. g. ad Subdiaconatum sine titulo, possit ascendere ad superiores Ordines sine dispensatione? vide Henriquez libro 13. cap. 37. num. 2. in glossa litera P. Gordonum tom. 2. lib. 7. cap. 12. num. 23. Avilam de cens. part. 3. disputat. 5. dub. 6. & Turrianum de cens. lib. 5. disp. 46. dub. 1.

RESOL. I.

An Ordinatus cum patrimonio ficto, utpote donatus, & post Ordines restitutus donanti præter peccatum mortale, incurrat suspensionem; & teneatur postea illud restituere? Ex part. 3. tract. 4. Ref. 183. alias 184.

§. 1. **H**ic casus in praxi frequenter solet accidere, Sephorum enim peccare mortaliter, non est dubium. Sed difficultas est, an incurrat suspensionem, & teneatur restituere? Ego negativam sententiam teneo cum Ledesma in sum. tom. 1. de sac. Ordinibus, c. 7. concl. 6. diff. 3. ubi sic asserit. [Este tal se ordena con verdadero título de patrimonio luego no está suspenso, porque este tal por el concierto que hizo no queda obligado, y la promesa fue de ningún efecto, y fue como si no huviera prometido nada, por que fue contra derecho, y no puede ser obligatoria, luego con verdadero patrimonio se ordenó, y por consiguiente no queda suspenso, de lo qual se colige bien claramente, que no está obligado à estar al concierto, y al pacto, que hizo de restituir el patrimonio.] Ita Ledesma, & post illum Villalobos in summa tom. 1. tract. 1. diff. 35. n. 10.

2. Non reticeam tamen probabiliter contrariam sententiam docere Avilam de cens. p. 3. disp. 5. dub. 5. concl. 3. & Io. de la Cruz in direct. conscient. p. 2. de Sacram. Ordinis, dub. 6. concl. 2. qui citat Cordubam, & Lopez, nam talis donatio fuit conditionalis, & licet fraudulenter, & verbo tenus facta sit, tamen in iure non est reprobata, & alias donator potuit conditionaliter donare, & Clericus sic admisit donationem, unde saltem in foro conscientie juxta intentionem donantis valet donatio. Igitur in tali casu ordinatus tenetur in conscientia retradonare patrimonium ita conditionaliter donatum.

3. Sed ad hoc argumentum respondet Ledesma ubi supra. [Que el que da el patrimonio mire lo que haze, porque una vez dado para que se ordene, no lo puede dar con la tal condicion, porque es contra derecho, y el que se ordena con el, no lo puede bolver con buena conciencia.]

4. Notandum cum Avila ubi supra, & aliis, stando in secunda sententia, quod in foro conscientie tenetur sic ordinatus restituere illud patrimonium sic conditionaliter donatum, atamen in foro exteriori potest rescindi talis retradonatio, & hoc in pœnam donatoris, quia voluit decipere Ecclesiam, & Episcopum.

RESOL.